

2.  
V I T A.

§. I.

**S**cripturi de Dædalo autores observamus de nomine quoque fuisse sollicitos. Sic enim Heintr. Stephanus in thesauro græcæ linguæ in voce ΔΑΙΔΑΛΟΣ p. m. 899. ita vocatus à δαίω (alioquin enim, nisi huic eiyto acquiescam, plusquam Dædalea ad excogitandum aliud aptius solertia mihi opus fuerit) nim. à δαίω, δαίδαλῶ, dein per pleonasmum literæ δ, δαίδαλῶ. Præterea non nomen hoc proprium & genuinum esse, sed cognomen à signis quibusdam artificiosè elaboratis desumptum putat Pausanias in Boëoticis s. Lib. IX. ex edit. Xylandr. p. m. 546. ἐκάλεν ἢ τὰ ξόανα Δαίδαλα πρότερον ἔτι ἢ Δαίδαλῶ ὁ παλαμαίων ἐγένετο Ἀθήνησι τῶν ἢ ὑστερον ἀπὸ τῶν δαίδαλῶν ἐπικλήσιν γενέσθαι δοκῶ, καὶ οὐκ ἐκ γενετῆς τεθῆναι τὸ ὄνομα. Quod sane nominis (signa scil. Dædala) ante natum Athenis Dædalum Palamaonis filium, usurpatum crediderim; quia post à Dædalis, ligneis sc. simulacris, non à proprio ac germano nomine, Dædalo ipsi cognomen impositum fuisse arbitror. In qua conjectura licet autores nondum conveniant, in ea tamen sum sententia, ab eo tempore nomen Dædali sæpe in cognomen abiisse, prout aliorum Mathematicorum nominibus Archimedis, Euclidis &c. accidisse scimus. Et huc forsan traxeris locum Pausaniæ Eliacor. poster. s. lib. VI. p. m. 346. Τῶ δὲ Τιμῶνι εἰργάσατο καὶ τῶ παιδὶ τὰς εἰκόνας Δαίδαλῶ Σικυώνιος, ὃς καὶ ἐπὶ τῇ Λακωνικῇ νίκῃ τὸ ἐν τῇ Ἀλτεῖ τρόπαιον ἐποίησεν Ἡλείοις. Timonis & filii effigiem fecit Dædalus Sicyonius, qui victis praelio Laconibus trophæum Eleis in Alti erectum elaboravit. Imo successu temporis nomen hoc improprie, ad homines varios & versipelles indicandos, adhibitum fuisse legimus. Sic Sidonius Apollinar. lib. III. ep. XIII. scribit: Hoc fabricatus Dædalus noster amicitiarum culmen edificat &c.

§. 2.